

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.

DISPUTATIO XIII.
EXERCITATIONVM ETHICARVM
DE

VIRTVTIBVS

INTELLECTVALIBVS

*Ex lib. 6. Ethicorum Nicomachiorum
potissimum depromta,*

Quam

DEO DVCENTE ET DOCENTE
In Illustri Academia VVitebergensi

PRÆSIDE

M. HENRICO VELSTENIO,
Philosophiæ Moralis Professore Publico
defendendam suscipiet

WILHELMVS LYSERVS
Brunsuigâ-Saxo.

8. Ian. horis locoꝝ consuetis.

MENANDER.

*Ne hoc despicias, quod junior dicam,
Sed an viri prudentis verba proferam:
Odr sapientem, qui sibi non sapit.*

Witebergæ typis Mullerianis, 1608.

REVERENDO
ET MAGNIFICO VIRO DOMINO
POLYCARPO LYSERO, DOCTORI THEOLOGO
& Serenissimo Saxoniae Electori à concionibus sacris
& consilijs Ecclesiasticis, Patri meo omni filia-
lis pietatis obsequio colendo.

NEC NON

CLARISSIMIS ET CONSULTISSIMIS VIRIS
DN. MICHAELI VVIRTHIO I.V.D.
& supremæ curiæ provincialis apud Lipsenses
Assessori, nec non facultatis Juridicæ
Professori Publico.

DN. ERASMO VNRVHIO, J.V.D. ET
Professori in VVittebergenfi Academia
Extraordinario.

*Dominis affinibus & patronis meis debito obser-
vantia cultu perpetim colendis,*

Hanc de virtutibus Intellectualibus disputationem,
observantiæ, obsequij & honoris ergò

DICO
CONSECO
OFFERO

WILHELMVS LYSERVS
Brunopolita.

CONTINUATIO.

Hic sic haecenus per *DEI* gratiam amabilem istum virtutum moralium chorum contemplati fuimus: nunc qua res bene vertat, duce & *Coriphæo* nostro Philosopho, etiam intellectuales istas virtutes pellustrare, est animus. Quemadmodum enim nec fundamentum sine tecto est durable: sic nec morales ista virtutes quicquam merentur laudis; nisi ab Intellectualibus istis quasi manibus ducantur & ab iisdem modum & exemplar suarum actionum sibi petant. Inter hasce verò Prudentia veluti insignis quadam gemma eminet, quae moralibus istis virtutibus, quasi lumē quoddam praefert, & viam demonstrat, quā sit proficiscendum. Hoc nomine Plato eum vocat reliquarum virtutum ducem & moderatricem; Aristoteles principem architectandi ceteras virtutes; Cicero vivendi artem & magistram, quoniam reliquis virtutibus, tanquam administrus ad sapienter agendum utitur: & earum ordinem, oportunitatem, agendiq; rationem ostendit; ipsa verò tanquam mentis oculus est undiquaque lucidissimus: quae, ut scienter ait *Horatius*:

Quod verum est atq; decus est, curat & omnis
in hoc est.

Proinde quemadmodum haecenus vestigijs Philosophi nostri insistentes, morales istas virtutes pro virili nostro excusimus: ita ut & hac vice Ducem nostrum Philosophum sequamur, jam de singulis mentis virtutibus, quā potest fieri brevitate agemus.

THESIS I.

Virtus Intellectualis est habitus animi rationalis, quo mens nostra affirmando vel negando verum enunciat. 6. *Nicomach* cap. 3.

II. In hac definitione cum genus, tum Differentia imprimis venit notanda.

▲ - a

III. Genus

- III. Genus huic virtuti cum morali est commune, habitus nimirum.
- IV. Differentia Subjectum, Objectum & Finem completitur.
- V. 1. Subjectum est ea animi pars quae rationalis appellatur. 6. Nicom. c. 1. & 1. Nicom. c. ult. Vide infra quaest. 4.
- VI. 2. Objectum sunt res, in quibus & verum & falsum locum habent.
- VII. 3. Finis est veritatem vel affirmando vel negando enunciare: id quod tamen ad externam vocem non est perversè trabendum; sed ad vocis fontem ipsam rationem est referendum. Donald. l. 3. c. 13.
- VIII. Ceterum cum duplices sint res, in quibus falsum & verum spectatur, nempe quaedam necessariae, quaedam verò contingentes; ita etiam habitus mentis recte duplices constituuntur, ita ut alij circa res necessarias, alij circa res contingentes versentur. 6. Nic. c. 1.
- IX. Circa res necessarias versantur Intelligentia seu Intellectus specialiter ita dictus, scientia & sapientia. Savon. lib. 4. Epit. Eth. Concl. 8. Nos de hisce ordine & breviter.
- X. Intelligentia est habitus mentis, quo principia scientiarum & demonstrationum cognoscimus. 6. Nicom. c. 6. 1. Metaph. c. 5. l. 5. Eudem. c. 6. Donald. l. d.
- XI. De hoc habitu haec tria notentur. 1. Objectum ejus sunt ipsa principia & ἀξιωματικὰ scientiarum & artium, Quae vulgò κοινὰ ἢ κοινὰ communes notiones, & principia nobiscum nata, quae licet naturaliter nobis sint insita, ab hoc tamen habitu perficiuntur. v. g. Talia principia sunt: bis bina esse quatuor: Quodlibet est vel non est: Deus est colendus. Vide disp. 5. th. 6. Item quaest. 4. Disp. 12. th. 88. & seq.
- XII. 2. Haec quidem principiorum noticia nobis est naturalis: sed tamen adhuc est obscura & tenuis, atque opus habet aliquam quidem non demonstratione sed declaratione, ut reddatur certior & evidentior. Ex disp. 1. quaest. 4.
- XIII. 3. Noticia haec principiorum in adultis, senibus & hominibus exercitatis est longe perfectior & certior, quam in pueris & junioribus, qui usu, experientia atque exemplis adhuc destituuntur. Et tantum de sapientia.
- XIV. Scientia est habitus mentis demonstrativus, quo percipimus conclusiones necessarias, per causas veras, primas, immediatas, & priores ipsis conclusionibus 6. Nic. c. 3. l. 1. Mag. Moral. c. 5. & Eudem. l. 5. c. 6. l. 1. post. Analyt. c. 2.

XV. De

XVI. De hoc habitu duo docet Philosophus. i. Ostendit ejus ob-
jectum. 2. causam efficientem, h. e. quo pacto possit comparari 6. Nicom.
cap. 3.

XVI. 1. Objectum est τὸ ἐπισθητὸν scibile, h. e. quod sciri & sci-
entia comprehendi potest. Scientia autem tantum versatur circa τὰ μὴ
ἄλλως ἐνδεχόμενα; ea quæ aliter se habere nequeunt: cujusmodi sunt,
necessaria, æterna, ingenerabilia & incorruptibilia. Ratio. i. Quia
homines ea tantum se scire arbitrantur, quæ aliter se habere non possunt. ii.
Contingentium ideo nulla est scientia, quod subinde mutantur, nec idem de il-
lis semper affirmari possit, utpote alio atq; alio modo se habentibus. Arist. l. d.

XVII. 2. Quoad causam efficientem omnis doctrina & co-
gnitio est ἐκ προγνωσκόμενων ex præcognitis. Dum enim quedam
notæ proponuntur, per hæc adducimur ad cognitionem rerum ignotarum: ideoq;
oportet discipulum secum asserre generalem aliquam προγνωσκω & quodam-
modo inchoatam ejus rei, quam discere vult, cognitionem: alioqui non potest
docentem intelligere.

XVIII. Præcognitorum autem cum duo sint genera: alte-
rum quidem singularium, quorum sensus est: alterum universa-
lium sive principiorum quæ mente percipimus: duo etiam quasi
gradus sunt ad perfectam cognitionem rei nos ducentes, Inductio
videlicet & syllogismus: quorum ille singularibus colligit & confirmat
scientiarum principia; hic ex principiis ita cognitis, quorum propriè est sci-
entia, demonstrat. Arist. l. d. Hipperius in hunc locum. pag. 481. Et
sic etiam de scientia.

XIX. Sapientia (σοφία) definitur ab Aristotele, quod sit νοῦς καὶ
ἐπιστήμη ἢ ὡς ὑπερ κεφάλην ἔχουσα ἐπιστήμη τῶν ἀμιωτάτων, h. e.
habitus ex intellectu compositus & scientia, qui rerum honestissi-
marum cognitionem sibi vendicat. 6. Nicom. c. 7.

XX. Circa hanc definitionem notetur ipsum nomen sapi-
entiæ, Genus, Objectum, Requisita, & differentia à Pruden-
tia.

XXI. 1. Ipsum Nomen, quod ut est magnum ita quoq; la-
tissimum. Omne enim quod præclarum est, illustre ac honore dignum, sapien-
tiæ nomine honoratur. Sapientia enim apud Græcos dicitur σοφία, quod no-
men à σέβομαι deducitur, & cultum honorem ac venerationem significat.
Sumitur autem hæc vox i. Pro certæ alicujus artis perfectione seu
excellentiâ. Cum enim Polycletum sapientem statuarium: & Apellem sapi-
entem pictorem fuisse dicimus, utrumq; in arte suâ fuisse perfectum & excel-
lentem

lentem putamus. 1. Pro absoluta cognitione scientiarum: Quæ non tantum earum conclusiones ex suis principijs demonstrare possumus; sed ipsa quoque principia perfectè cognoscimus. Et hoc in significato etiam hic ab Aristotele accipitur. Arist. l. d. Vide & Donald: l. 3. c. 10.

XXII. 2. Genus: quod est habitus compositus ex intelligentia & scientia. Ex intelligentiâ quidem, quatenus cognoscit principia & causas. Ex scientia autem, quatenus etiam cognoscit conclusiones, quæ ex principijs deducuntur.

XXIII. 3. Objectum, quod sunt res omnes earumque cause, quæ quidem sub hominis cognitionem cadere possunt, cuiusmodi sunt rerum principia & cause & ipsæ conclusiones, quæ ex illis efficiuntur.

XXIV. 4. Requisita sunt quatuor. I. Ut sit communissima, tanquam universalis. II. Ut sit maximè exquisita & certissima. III. Ut non solum cognoscat principia; sed & conclusiones. IV. Ut versetur circa res præstantissimas, & sit tanquam caput habens scientiam rerum præstantissimarum Arist. l. d.

XXV. 5. Differt à prudentia. I. Quia hujus plures sunt species, ut constabit ex sequentibus. II. Communi loquendi usu sapientes à prudentibus discernuntur: siquidem, Thales, Anaxagoras, & reliqui in investigatione causarum abstrusarum, causarumque rerum naturalium occupati, sapientes non item prudentes appellantur: & econtrâ prudentes illi solum & propriè vocantur, qui in rebus bene agendis rectè consulere possunt. III. Sapientia versatur circa res necessarias, prudentia circa contingentes. IV. Prudentia sese extendit tam ad singularia quàm universalis, & potissimum quidem circa illa, cum omnis vis actionum in singularibus & circumstantijs earundem consistat: Sapientia autem tantum est universalium. 6. Nicom. c. 7. & 8. Savon. lib. 4. Epit. Ethic. concl. 8. Sagittarius Exercitat. Ethic. 5. Quæst. 5.

XXVI. Atque sic fuerunt habitus Intellectuales, qui circa necessaria occupantur: sequuntur nunc qui circa contingentia.

XXVII. Contingens autem à Philosopho duplex constituitur. Aut n. ποιητικόν est quod sub effectum: aut πρακτικόν sub actionem cadit. Et proinde alius erit habitus Intellectualis circa ἐνδεχόμενον ποιητικόν, ut Ars: alius qui circa πρακτικόν ut prudentia. Tot enim erunt habitus, qui versantur circa τὰ ἐνδεχόμενα, quot sunt ἐνδεχόμενα differentia. Vide infra quæstionem 3.

XXVIII. Unde constat Artem & prudentiam partim inter se convenire, partim differre.

Conve-

XXIX. Conveniunt objecto communi, quod nempe utraq; ver-
setur circa contingentia.

XXX. Differunt vero. 1. Quia prudentia, ut dictum est, finem ha-
bet. $\pi\rho\alpha\acute{\xi}\iota\pi$, hoc est, ut agat ea, quae ad virtutem moralem & civilem societate-
tem pertinent: Ars vero $\omega\omicron\iota\sigma\iota\pi$ $\eta\upsilon\lambda$ $\omega\omicron\iota\mu\alpha$ effectiorem & opus. 2. Ars
à virtutibus moralibus reipsa potest separari: ideoq; nemo inde vir bonus sed bo-
nus artifex dicitur: prudentia vero cum virtute morali ita est conjuncta, ut
altera sine altera esse non possit, & ab ea vir bonus. denominetur. 6. Nicom.
c. 5. & 13. 3. Qui in arte sponte peccat, minus est reprehendendus, quam
qui invitè, quia hinc imperitia artificis apparet: at contra se res habet in pru-
dentia, ubi qui sponte peccat, majore reprehensione dignus est, quam qui in-
vitus. Quia in priore malitia iudicium apparet; in posteriori non item. 6. Nic.
c. 5. Savon. l. 4. Epit. Eth. concl. 9. Piccol. g. 5. c. 29. Donald. l. d.
Kecker. in system. Ethic.

XXXI. Vbi & hæc duo vel imprimis observationem me-
rentur. 1. Quidnam discriminis intercedat inter $\pi\rho\alpha\acute{\xi}\iota\pi$ $\eta\upsilon\lambda$ $\pi\omega\iota\sigma\iota\pi$
actionem & effectiorem. 2. Quænam utriusque sint requisita.

XXXII. Quoad primum differunt hæc duo. 1. consequente:
Quia post effectiorem plerumq; opus aliquod remanet, tanquam illius finis: post
hanc vero nunquam aut saltem per accidens. 2. Principijs: Quia principium
actionis est $\pi\rho\alpha\acute{\xi}\iota\sigma\iota\varsigma$: Effectiorem vero aut intellectus aut ars aut alia facul-
tas teste Aristotele. l. 6. Metaph. c. 1 l. n. c. 7. 3. Adjunctis: Quia
actio antequam appetitus fuerit domitus, fit cum aliqua animi perturbatione &
intrinsicè absolvitur: Effectio vero non fit cum aliqua perturbatione & extrin-
secus perficitur. 4. Effectio est in rebus corporeis per instrumenta
corporea: Actio est in virtutibus & vitijs. Est enim actio humane li-
bertatis operatio, quæ versatur in attinentibus ad hominum mores, ex ratione
& electione prodiens, gratia ejus boni, quod in operatione includitur Arist. l. d.

XXXIII. Quoad alterum, in effectiorem & actione hæc tria requi-
runtur: Istuc. 1. Intellectus arte perfectus & dirigens. 2. Membra externa,
ut instrumenta exequentia. 3. Finis post operationem remanens. Illic vero. 1.
Ratio dirigens. 2. Præelectio exequens. 3. Appetitus obtemperans.

XXXIV. Atq; hisce ita generaliter præmissis, nunc in specie de prudentia
& arte nonnihil restat agendum.

XXXV. Prudentia definitur, quod sit $\acute{\epsilon}\xi\iota\varsigma$ $\alpha\lambda\theta\eta\delta\eta\varsigma$ $\mu\epsilon\tau\acute{\alpha}$ $\lambda\omicron\gamma\omega\varsigma$
 $\pi\rho\alpha\kappa\lambda\acute{\iota}\kappa\eta$ $\omega\pi\epsilon\iota$ $\tau\acute{\alpha}$ $\acute{\alpha}\nu\theta\omega\tau\omega$ $\acute{\alpha}\gamma\alpha\theta\acute{\alpha}$ $\kappa\alpha\iota$ $\kappa\alpha\kappa\acute{\alpha}$. h. e. habitus verus
cum ratione agendi ea quæ homini sunt bona vel mala. 6. Nicom.
c. 5. Piccol. de Rerum definit. p. 280.

XXXVI. In hac definitione consideranda sunt. Nomen, Genus, Forma, Objectum, Species, cognata.

XXXVII. 1. Quoad nomen dicitur Græcis *φρόνησις ἀπὸ τῆς φρενὸς*, id est à mente cujus hæc virtus est ornamentum : Latinis à providendo dicitur, quasi providentia : tum quia per hanc virtutem quisq; providet quid fugiendum, quid eligendum sit, tum quia præcipuus hujus virtutis effectus est in providendis futuris. Cic. l. 1. de legibus Kecker. in Systh. Eth. l. 1. c. 3. Donald. l. 3. c. 13.

XXXVIII. Hujus verò vocabuli diversæ sunt significatio- nes 1. Attribuitur etiam animalibus ratione carentibus, ut formicis, apibus & alijs, eò quòd in futurum sibi prospiciant & adversus pericula sese muniant. Sed talis prudentia nihil aliud est, quàm naturalis quedam sagacitas, non actionibus comparata, sed naturâ ingenita. D. Thom. de memor. & reminisc. lect. 7. Alex. de Ales. 1. Metaph. 2. Accipitur pro solertia, unde vulgò dici solet prudens, qui alijs consilio antecellit. 3. Sumitur pro astutia. 4. Vera prudentia & non simulata hoc loco ab Aristotele definitur. Donald. l. d.

XXXIX. 2. Genus prudentiæ est habitus, practicus scilicet : unde ab intelligentia scientia & sapientia differt. Donald. l. d.

XL. 3. Forma est ratio consultandi *περὶ τὰ ἀνθρώπινα*, non solum universaliter, sed & particulariter. οὐ τῶν καθόλου μόνον ἢ φρόνησις ἐστὶ, & ἀλλὰ δὲ καὶ τὰ καθ' ἕκαστα γνωρίζει. Unde sæpe videmus contingere, ut in actionibus politicis versati, licet plebeyj & indocti, ijs antecellant, qui docti quidem sunt, verum singularium actionum imperiti. 6. Nic. c. 8. Savan. l. d. concl. 2. Chlichtov. in introd. Fabri Stapulensis p. 45. Fregius in quæst. Eth. p. 282.

XLI. 4. Objectum sunt τὰ ἐνδεχομένα πράκτα, id est, contingentia quæ sub actionem cadunt, quæq; homini simpliciter, prout aguntur, vel bona vel mala sunt. 8. Nicom. c. 5.

XLII. De hoc objecto hic canon notandus: Quia τὰ πράκτα agibilia vitæ humanæ sunt contingentia, & singularia seu individua: idcirco omnis prudentia humana versatur circa inconstantia, varia & ambigua : & per consequens nemo debet prudentiæ suæ nimium tribuere : Quia objectum hujus virtutis valde est lubricum Kecker. Systh. Ethic. lib. 1. cap. 3. pag. 146.

XLIII. 5. Quoad species variæ sunt prudentiæ divisiones. Nam 1. alia est privata τῶς αὐτοῦ καὶ ἑνὸς erga seipsum : alia est communis: sive τῶς ἄλλοις erga alios.

Prudentia

XLIV. Prudentia erga seipsum est, quâ quis sibi sapit, & ea quæ ad suam spectant utilitatem, providere potest. Bene enim Cicero ad Trebatium inquit: *Illud semper memento, qui sibiipsi sapiens esse nequit, nil quicquam sapit.* Et nota sunt proverbialia: *Odi sapientem qui sibi ipsi non est sapiens. Tunica propior est pallio. Omnes sibi melius esse malunt, quam alteri. Ordinata charitas à se incipit.*

XLV. Prudentia erga alios, quâ quis non sibi soli; sed et alijs de utilibus prospicere potest. Quoniam, ut præclare scriptum est à Platone (verba sunt Ciceronis 1. off.) *non nobis solum nati sumus, ortusq; nostri partem patria sibi vindicat, partem parentes, partem amici.* Atq; ut placet Stoicis quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari: homines autem hominum causâ esse generatos, ut ipsi inter se alijs alijs prodesse possint: in hoc naturam ducem debemus sequi & communes utilitates in medium adferre.

XLVI. 2. Prudentia est vel Oeconomica vel Politica. Oeconomica quæ à cura domus pendet studioq; rei familiaris. Estq; duplex: una de personis; altera de rebus ipsis, quibus familia est sustentanda & alenda: ut agricultura, piscatus, venatus, aliq; opificia & artes. Politica est quâ consulere possumus de ijs, quæ Reipub. & civitati, in qua vivimus, sunt bona & utilia: estq; propria bonorum civiû. 6. Nic. cap. 8. Quo nomine bene Plato in Alcibiade inquit: *Hunc sanè rectè prudentem dixerimus, qui & sibiipsi & Reipub. & civitati in qua vivit, potest bene consulere. Respub. enim nomen universæ civitatis est, pro quâ mori, & cui nos totos dare, & in quâ omnia nostra ponere & quasi consecrare debemus* Cic. 2. de legibus.

XLVII. 3. Hæc rursum vel est universalium & νομοθετικὴ dicitur, in legibus ferendis occupata: vel est singularium, & specialissime ac propriissime Politica sive Practica appellatur. Arist. 1. d.

XLVIII. 4. Hæc deniq; vel est βουλευτικὴ, quæ deliberat de rebus futuris: vel δικαστικὴ quæ in foro judicat & statuit de rebus præteritis. Arist. 1. d.

XLIX. 6. Prudentiæ cognata, cumq; ea copulata sunt quatuor. ἡ εὐβουλία, Σώεσις, γνώμη, δεινότης 6. Nicom. c. 9. & 12.

L. 1. ἡ εὐβουλία. Bona consultatio est rectitudo consilij, quâ media licita ad bonum finem ducentia, ut oportet, quomodo oportet, & quando oportet promptè expediteq; conquirimus (*Et sic bonus deliberator erit, qui bonum finem per legitima media assequi potest*) 6. Nicom. c. 9.

B

Rectum

LII. Rectum autem consilium dicitur quatuor modis 1.
Quo quispiam propositum qualecunq; sive bonum sive malum,
sit assequitur. Tale fuit Pharisaorum de tollendo CHRISTO filiorum
Jacob de tollendo Josepho: Davidis de tollendo Uria. 6. Nicom. c. 9.

LIII. Vbi vel imprimis hic canon notetur: Non omnis qui recte
consultat bene consultat. Recte enim consultat ille, qui illud de
quo consultat, assequitur: Bene vero consultat qui ex consultatione sua
bonum aliquod assequitur, vel assequi conatur. v. g. Tarquinius ca. de con-
sultat de stupro inferendo Lucretiae, & voto etiam suo potitur. Ergo cum
scopum suum attingat, recte consultavit: at quia scopus hic inhonestus fuit &
turpis, bene consultasse non est dicendus. ἐὺβουλία enim prudentia quasi quæ-
dam species est. Atqui prudentia nunquam à virtute separari potest. 6. Nic.
cap. 5. Incontinens igitur homo callide cupiditati suae consulens, recte quidem
consultat, quia illud de quo consultat, assequitur: sed non bene, quia ex sua
consultatione bonum non adipiscitur, sed magnum malum, vitiositatem videli-
cet & turpitudinem. Zvvingerus.

LIII. 2. Cum quis voti fit compos per media illicita. Quem-
admodum enim in Logicis interdum ex falsis propositionibus vera colligitur
conclusio: ita quoq; in consultando quandoq; contingit v. g. si quis liberos suos
furto & rapinis alat, vel si quis incantamentis sanitatem recuperet.

LIV. Vbi hi duo notandi canones. 1. Vbi media sunt illi-
cita, ibi nec consilium bonum esse potest: quemadmodum nec syllo-
gismus est bonus, etiamsi conclusio sit vera, quoniam confectus est ex falsis pro-
positionibus. 2. Consultando potest quis id, quod agendum est
videre: at in ijs, quæ ad hoc consequendum faciunt, medijs pec-
care, quia inhonesta sunt. v. g. Bene videbat Sophronia majorem ha-
bendam esse rationem pudicitiae, quam vitæ: atqui peccat in eo, quod seipsam
interficit, ne ea Tyranno constuperetur. Zvvingerus.

LIV. 3. Cum propositum obtingit; sed intempestive, seu
tempore minus commodo. v. g. Honestum est tueri patriam, eamq; ar-
mis propugnare; sed nimis intempestivum si Troilus cum Achille congre-
diatur.

LV. 4. Cum bonum propositum, bonis & honestis medijs,
tempore commodo obvenit, quod proprie bonum & rectum
consilium appellatur. Arist. l. d. Donald. l. d.

LVI. Cæterum duplex est consultatio. Vel enim ἀπλῶς & sim-
pliciter consultamus: vel πρὸς τέλος ad finem Dd. l. d.

LVII. Simpliciter consultamus, quando de fine ultimo seu
felicitate Politica, per legitima media acquirenda, deliberamus.

Ad

LXVIII. Ad finem deliberatio suscipitur, quando propter certum aliquod bonum privatum per media acquirendum consultamus. Et talia sunt omnia ea, quæ homines sibi proponunt, præter summum illud bonum, ut est eruditio, potentia honor, virtus & similia. Et tantum de bona consultatione.

LIX. Σύνεισις seu perspicacitas est, quæ rectè intelligit & iudicat eas res, circa quas prudentia versatur, & ad humanam vitam, & societatem civilem utiles sunt atq; necessariae. 6. Nicom. c. 10. Unde & Plautus callidum & doctum vocat eum, qui quando principium prehenderit, porro virtute sua teneat quid facere se oportet.

LX. Versatur ergo σύνεισις circa eadem, circa quæ & Prudentia: cum quæ partim convenit, partim ab eadem differt: ut & à scientia & opinione.

LXI. Convenit cum prudentia. 1. Objecto, uti jam dictum est; quia utraq; versatur circa τὰ πρᾶκτὰ ἢ e. res agendas. 2. Causa efficiente: Quia utraq; comparanda & confirmanda est usu & experientia.

LXII. Differt vero ab eadem: Quia hæc quid agendum sit, præcipit: perspicacitas vero de prudentiæ decretis fert iudicium. Quemadmodum enim est discipuli ea, quæ à præcepto præcipiuntur intelligere & rectè de ijs iudicare: Eodem modo prudentia de rebus deliberat, & præcipit, quæ sunt agenda; σύνεισις autem de his ipsis rectè iudicat, & utitur prudentiæ præceptis & decretis, non secus ac discipulus utitur scientiæ & præceptis sui præceptoris. 6. Nic. c. 10.

LXIII. A scientiâ vero & opinione differt. 1. Quia hæc in omnes homines cadunt, cum nemo sit, qui non habeat aliquam vel scientiam vel opinionem: illa non in omnibus reperitur, cum pauci sint ingeniosi. 2. Scientia circa necessaria: perspicacitas vero circa ea, quæ dubitationem habent & in consultationem veniunt, munere suo defungitur. Arist. l. d.

LXIV. Γνώμη seu sententia est æquitas animi, aliorum dicta & facta in meliorem partem interpretantis, & si quid in ijs erratum est, ignoscentis. 6. Nicom. c. 11.

LXV. Officium ergo ejus duplex est. 1. quæ ab alijs dicuntur & fiunt benignè interpretari: à quo munere ἐγγνώμωνες, hoc est, benignè de alijs sentientes, dicuntur prudentes. 11. Iis peccatis, quæ per ignorantiam ac infirmitatem fiunt, clementer ignoscere ac veniam dare: unde σὺψωμοῦντοι ad cognoscendum prompti prudentes dicuntur. Arist. l. d. Donald. l. d. Quod spectat illud Germanorum Proverbiū:

Der ist recht vnd wol gelert!

Der alle ding zum besten fert.

B 2

66. Differt

LXVI. Differt à perspicacitate, quòd perspicacitas simpliciter de rebus pronunciet, quales sint suâ naturâ: sententia verò aequitatem adhibet moderatricem: ut, sicut se habeat aequitas ad justiciam, ita se habeat sententia ad perspicacitatem. Donald. l. d.

LXVII. Conveniunt sententia, perspicacitas, prudentia & intellectus tripliciter. Arist. l. d.

LXVIII. 1. Subjecto: quia omnes illi habitus in uno eodemq; homine prudente concurrunt, & ad eundem scopum collinant. Is enim reverâ prudens dicitur, qui habet cognitionem principiorum practitorum, & non tantum benè de rebus deliberat, sed etiam rectè intelligit res, de quibus deliberat, & de his rectè & secundum aequitatem judicat.

LXIX. 2. Objecto: quia versantur circa τὰ πρᾶκτὰ, hoc est, res agendas, quæ & extrema & singularia dicuntur, nisi quòd Intellectus sit extremorum in utramq; partem, hoc est, principiorum tam speculabilium, quàm practitorum.

LXX. 3. Causâ efficiente: Quia usu & experienciâ rerum singularium comparantur, & quasi cum ætate crescunt, augentur & confirmantur. Hinc etiam fit, ut quò major est ætas, eò etiam majores & præstantiores in homine ut plurimum sint istæ virtutes. Quo nomine præcipit Philosophus l. d. Non minùs fidem adhibendam esse dictis peritorum senum & prudentum, quæ sine demonstratione & probatione proferuntur, quàm demonstrationibus. Senes autem hic intelliguntur non quilibet, quorum cani sunt capilli, in quibus etiam stolidi reperiuntur, uti Senex ille Plautinus fatetur: Profectò, inquit, interdum & nos senes deliramus: sed qui graves annis prudentiâ excellunt, ejusq; triplicem oculum sibi compararunt, nempe. 1. Memoriam præteritorum 2. Prudentiam futurorum. 3. Intelligentiam præsentium. Sic enim recitè Ovid. l. 2. de arte amandi.

Adde, quòd est senibus rerum prudentia major:

Solus & artifices, qui facit, usus adest.

Item 6. Metam.:

Namq; omnia grandior ætas,

Quæ fugiamus habet: serus venit usus ab annis.

LXXI. Solertia, δεινότης, est naturalis quædam vis intelligendi & agendi ea, quæ pertinent ad scopum nobis propositum, consequendum. 6. Nic. c. 13. Talis naturalis solertia fuit in iniquo isto dispensatore. Luc. 16. Talis fuit & in muliere Tecuite. 2 Sam. 14. quæ instructa à Joab fingit se duos habuisse filios, quorum alter alterum occiderit

derit, & petit ut superstiti parceretur. Annuente Rege ipsa parabolam explicans pro Absolone reducendo petit. Talis etiam fuit in Themistocle, de quo ita Thucyd. l. 1. Themistocles acie mentis suae non praemonitus, nec diu considerans, optima consilia habebat, & de futuris quid eventurum esset, rectissime conijciebat, & quae in praesentia in manu habebat, expedire poterat, & quae non noverat, non destitit inquirere, in obscuris autem rebus quid melius, quid deterius esset, omnium maxime prospiciebat, & ut in summa dicam, naturae viribus & deliberatione id eligebat, quod maxime profuturum erat.

LXXII. Estq; haec solertia vel bona vel mala pro dissimilitudine scopi, quem sibi habet propositum. Arist. l. d.

LXXIII. Bona est, quae bonum scopum & finem sibi habet propositum, & bona etiam media ad bonum finem consequendum investigat.

LXXIV. Mala est, quae malum finem sibi habet propositum, & ad eum consequendum mala etiam media excogitat: Vnde etiam proprie $\omega\alpha\nu\sigma\epsilon\gamma\iota\alpha$ dicitur versutia, calliditas, astutia. $\omega\omega\delta\epsilon\gamma\omega\epsilon$ enim est, qui ad quodlibet opus promptus, vel qui dexteritate ingenij valet, ad quodlibet agendum callidus & faver.

LXXV. Caeterum solertia cum prudentia partim convenit, partim ab eadem differt Arist. l. d.

LXXVI. Convenit: Quia tantam habet cum prudentia cognationem, ut illa absq; hac non possit comparari. In quibus enim haec naturalis solertia non est, quales sunt ij, qui natura sunt stolidi & stupidi, hi numquam prudentiam sibi comparabunt, etiamsi diutissime vivant: Ideoq; et Philosophus eam oculo comparat. Ut enim sine oculo homo non potest videre res obiectas & sibi comparare cognitionem, quam per visionem sibi debet comparare: ita etiam sine hac naturali solertia mens non potest cernere & intelligere ea, quae ad prudentiam comparandam sunt necessaria.

LXXVII. Differt ab eadem duobus modis. 1. Causa efficiente: Quia solertiae causa efficiens est natura, siquidem est naturalis quaedam facultas: hujus vero usus & experientia, quia habitus est, qui usu & exercitatione comparandus & confirmandus. 2. Subiecto: Solertia enim quia bona & mala est, idcirco non tantum in viris bonis; sed etiam in malis locum habet: Prudentia vero quia semper bona est & cum virtute morali conjuncta, idcirco in viris bonis solum locum habet: Vnde inquit Philosophus: $\alpha\delta\epsilon\omega\alpha\tau\epsilon\nu\ \phi\gamma\omega\upsilon\mu\omega\pi\ \epsilon\iota\nu\alpha\ \mu\eta\ \acute{\omicron}\nu\tau\alpha\ \alpha\gamma\alpha\delta\omega\pi$: Impossibile est, ut quis sit prudens, nisi idem sit vir bonus. 6. Nicom. c. 13. Vide infra quaest. 12. Et tantum etiam

De prudentiâ : nunc ad ultimi habitus, Artis videlicet, considerationem nos accingimus.

LXXVIII. Definitionem Artis Aristoteles hanc ponit: τέχνη δὲ ἐστὶ ἐξ ἑστῆς μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιήσεως ἡ ἀρτιότης. *h. e. ars est habitus cum vera ratione ad aliquod opus efficiendum idoneus* 6. Nicom. c. 4.

LXXIX. Ad hunc habitum mentis rectius intelligendum, notetur. 1. vocabulum Artis. 2. differentia. 3. Objectum. 4. Officium artificis 5. Nonnulli Canones.

LXXX. 1. Vocabulum Artis, 1. significat in genere quamlibet peritiam: Vnde Cicero l. 2. de Orat: ait: *Ars rerum earum est, quæ sciuntur.* Et Ovid, 1. de arte amandi ait:

Arte citæ veloxq; rates remoq; reguntur:

Arte leves currus, arte regendus amor.

2. Collectionem præceptorum, usu cognitorum ad utilem aliquem in vita finem. (Proprie tamen hæc ars non est, sed artis in mente artificis imago, seu effectum quoddam, & discipulo ad artem acquirendam adminiculum. 3. Mentis habitum, uti hic ab Aristotele accipitur. Vide & l. 5. Eud. c. 4.

LXXXI. II. Differentiam duo exprimunt. 1. Est habitus effectivus, quâ voce à prudentia imprimis distinguitur, quæ non efficit, sed agit, ut supra thesi. 30. & seq. plenius explicatum fuit. 2. Cum ratione, per quam à naturali operatione distinguitur. Nam natura efficit quidem, sed rationem facti non tenet. Vnde l. 3. ad Heren. dicitur: *Imitetur ars naturam, & quod ea desiderat, inveniatur: quod ostendit, sequitur.* Nihil est enim, quod aut natura extremum invenerit, aut doctrina primum: sed rerum principia ab ingenio profecta sunt & exitus disciplinâ comparantur. Donald. l. d.

LXXXII. III. Objectum artis aut est generale aut proprium.

LXXXIII. Generale sunt τὰ ἐνδεχόμενα, καὶ εἶναι καὶ μὴ εἶναι, res contingentes quæ aliquam mutationem admittere possunt, cum artis sit materie subjectæ aliam inducere formam. Itaq; quodammodo Ars & Fortuna circa idem versantur: sicut Agathon dicebat: τέχνη τῆς τύχης ἐπέξε, καὶ τῆς τύχης τέχνη Arist. l. d. Vide infra quæst. 15.

LXXXIV. Proprium objectum sunt ea contingentia, quæ principium movens seu causam sui efficientem non habent intra se, sed extra se, in ipso scilicet artifice, qui movet materiam, ut aliam formam admittat.

LXXXV. IV. Officium verò artificis circa causam materialem in hisce tribus Philosophus constituit: ὅτι τῷ θεουργεῖν, ὅτι τῷ τεχνίζειν & ὅτι τῷ γενεῖν. Arist. l. d.

LXXXVI. 1. *Ἐν τῷ θεωρεῖν* ut antequā artifex opus aliquod aggrediatur rectè perpendat, quomodo debeat ex datā materia artificiosum opus producere, hoc est, debet quodammodo ideam operis futuri mente & animo concipere. l. d.

LXXXVII. 2. *Ἐν τῷ τεχνεῖν*, ut ex prescripto artis operetur, talemq; formam materiae imponat, qualem ars requirit. Atq; hic tribus medijs opus est. 1. ἀφαιρέσει, ut auferat superflua. 2. προσθήσει, ut addat necessaria. 3. immutatione, ut formam materiae immutet in aliam. l. d.

LXXXVIII. 3. *Ἐν τῷ γενεῖν*, ut opus ipsum producat. Hoc autem ut fiat, prater præcepta & usum accedere, necessum est. Nam præcepta breviter esse & citò percipi possunt: usus verò non nisi longā exercitatione comparatur. l. d.

V. Deniq; Appendicis quasi loco & hi canones notari possunt.

LXXXIX. 1. Natura propriè gignit rerum formas: sed tamen tribuitur hoc etiam arti, quæ est imitatio naturæ, & instar naturæ gignit & producit opera. Ex superioribus thesi 80.

LXXXX. 2. Natura producit formas substantiales; Ars autem producit tantum formas accidentales. Neq; enim artifex potest producere substantiam aliquam naturalem propria sua virtute; sed tantum formā accidentaria eam expolit. Videatur Goclenius in disquisitionibus Philosophicis pag. 103. Scalig. l. 1. de Plant. p. 182. & 226.

LXXXI. 3. Causa impulsiva artium est naturalis indigentia, adeò ut hujus medelæ verè dici possint. v. g. Cum homines viderent se multis rebus indigere, nempe terræ frugibus, calcibus, edificijs, idcirco ad comparandam unam quamq; rem invenerunt certas artes, nempe agriculturam, sartoriam, sutoriam, edificatoriam &c.

LXXXII. 4. Arti opponitur ἀτεχνία sive Inscitia: & ars non habet osorem, nisi ignorantem. Cujus rei illustre exemplum habemus in Muscovitarum Principe, cui cum Christianus Daniæ Rex, Livoniæ pacem impetrare cupiens, mitteret argenteum ἀντὲρματόν celestium motuum, nempe globum affabrè factum, una cum alijs muneribus, Muscovita quidem cætera accepit munera; sed ἀντὲρματόν illud, contumeliosè derisum, Dano remisit, inquit: ipsum stulte de cælo sollicitum esse cum de terra armis decernendum. Et tantum etiam de hoc habitu.

LXXXIII. *Alia multa, quae de hisce habitibus intellectualibus com-
modè quidem dici potuissent, hic omittimus, quae alius disciplinae sunt: Hic
tantùm assumimus ea, quae necessaria, & abimus in castra aliorum
non ut transfugae, sed ut exploratores, hoc est, non ut toti simus in ea-
rum rerum tractatione, sed quantum nobis satis. Seneca Epist. 2. Vnam his
tamen vel alteram quaestionem non inutilem adjungemus.*

QVÆSTIO I.

Vtrum virtutes Intellectuales sint Ethicæ Considerationis?

Negativa quidem nonnullis rationibus, quas hâc vice brevitate cau-
sâ missas facimus, stabiliri posse videtur. Affirmativa est Philosophi-
quam 6. Nic. c. 1. hoc adtruit fundamento. Quodcumq; monstrat re-
ctam rationem, quâ mediocritatem, quae in virtutibus moralibus requiritur,
cognoscere & consequi possumus, de illa agendum est in Philosophia morali. Sed
virtutes intellectuales & præcipue prudentia monstrat rationem rectam, quâ
mediocritatem, quae in virtutibus moralibus requiritur, cognoscere & conse-
qui possumus. Ergo. Majorem probat Philosophus Exemplis simi-
libus. 1. Aliarum artium, in quibus non est satis dicere in opere efficiendo
tenendum esse medium, ut neq; magis, neq; minus sit, quàm ars requirit; sed o-
portet ostendere in quo sit illud medium, & quo pacto artifex illud assequi pos-
sit. 2. Artis medicæ. Quemadmodum enim interroganti, quae conducant
valetudini, non satis sit, si respondeatur, ea, quae prescribunt Medici, sed oportet,
etiam speciatim addere: hæc medentur uni morbo; illa, alteri, tum quomodo
& quâ ratione parata. Ita non satis est dicere, mediocritatem inveniendam
esse ductu recte rationis; sed etiam ostendendum est, quomodo & quâ viâ ratio
ad mediocritatem contendat. Minor patet, cum ex definitione prudentiæ, tum
ex definitione virtutis supra l. 2. c. tradita. Fundamento huic adhuc a-
lij alia supponunt fulcra. 1. Duae sunt intellectus facultates, quas perficere
oportet Intellectus & voluntas. Et illae facultates connexae sunt, & in Physicis
docentur. Zab. l. de ord. intel. c. 1. E. rationi convenientissimum est, ut
earum virtutes sint connexae & connexam tradantur. At qui voluntatis virtutes
omnium consensu in Ethicis traduntur. Ergo. 11. De sapientia agit Ethicus,
quia virtus est, Aristot. 1. M. M. c. 33. Ergo etiam eadem ratione aget de
reliquis intellectivis, quia virtutes sunt. 111. Si Ethicus de anima tractat, cu-
jus consideratio non ita necessaria, multò minus tractationem de Intellectua-
libus prætermittet. Sed prius est ex 1. Nicom. c. 12. 14. Civilis Philoso-
phus

phus tenetur omnes habitus cognoscere: cum ejus officium sit humana-
nas actiones componere, hominemq; ad summum bonum dirigere, quia ad sum-
mum bonum conspirant omnes habitus mentis. E. omnes tenetur cognoscere.
Imò idipsum etiam tenetur facere, ut ordinem statuatur inter hominum gradus
& conditiones, eas inter se comparet, honores rectè decernat, statuatur cui dis-
ciplina & quousque danda sit opera. 1. Nicom. c. 2. Picol. gr. 5. c. 5.

Nos controversiam hanc per duplicem distinctionem deci-
dimus. 1. De prudentiâ quidem non esse dubium, eam ad Ethicam pertinere,
cum sit forma dirigens omnium virtutum moralium, & omnia quae aguntur
in humana vita per prudentiam bene fiant: aded est oculis emissitys: aded est
mente circumspectrice. 2. Ethicum contemplari habitus & virtutes Intelle-
ctuales, quatenus sunt habitus & virtutes, non secundum subjecta; & quate-
nus ad directionem faciunt, seseq; cum inferioribus connectunt. Arist. 6. Ni-
com. 1. Magirus in hunc locum pag. 565. Vrsinus in quæst. Illust.
p. 105.

QVÆSTIO II.

An virtutes morales rectè Intellectuali-
bus præmittantur?

Dicimus hîc quod res est. Nos quidem Aristotelicum filum secu-
ti, moralibus istis prima assignavimus subsellia: interim nō infite-
mur, quod ex prægressâ quæstione cuius proclive est æstimare,
Intellectualibus virtutibus ratione ordinis accuratioris primum
locum omninò deberi. *Omne enim dirigens prius est directo, & men-
sura naturâ prior est, cujus est mensura.* Scal. Exerc. 352. f. 2. *At intellectus
voluntatis q. regula est & hæc ab illa quasi dependet: Intellectus enim volun-
tate quasi prior & præstantior.* Scal. Exerc. 307. f. 26. Hinc & Schola-
sticorum illud: *Voluntas ab officio non discedit, quin intellectus ipse à recta
via deflexerit. Non est peccatum in voluntate, quin sit defectus in ratione.*
Thomas 1. par. 2. q. 19. a. 4. Kecker. in cursu philosophico disp. 19.
Vide Hipperium in c. 1. l. 6. Nicom. & disputationem nostram 4.
q. 11. Et tantum etiam de hac quæstione.

QVÆSTIO III.

An rectè ab Aristotele ponantur quinque vir-
tutes Intellectuales?

C

Affirma-

Affirmativa & hic cum Philosopho subscribimus, eamq; stabilimus. i. A forma virtutum Intellectualium. *Animus enim tantum quing; modis affirmando & negando verum dicit. 6. Nicom. c. 3. At tales modi sunt scientia, Ars, prudentia, Intelligentia & sapientia. 2. Ex objectis circa quae habitus isti versantur, quae vel sunt necessaria vel contingencia. Necessaria sunt in triplici differentia. 1. Aut enim sunt ipsa principia per se nota, quorum habitus dicitur Intelligentia, seu Intellectus specialiter ita dictus. 2. Aut sunt Conclusiones ex principijs deductae, unde est scientia. 3. Aut sunt conclusiones junctae cum principijs, quae noticiam efficiunt compositam, & haec sapientia vocatur. Unde sic colligimus: Tot erunt virtutes Intellectuales, quae versantur circa objecta necessaria, quot eorum obiectorum sunt differentiae. Atqui haec obiecta, ut iam dictum, in duplici sunt differentia. Ergo. Porro contingens duplex est: aut enim est ποιητικόν, quod sub effectiōnem: aut πρακτικόν quod sub actionem cadit: Et proinde alius erit habitus Intellectualis circa εἰδὸν χόμενον ποιητικόν, ut Ars: alius qui circa πρακτικόν, ut prudentia Armandus de Bello visu tract, II c. 85. Vide supra thesin. 27.*

3. A naturâ istorum habituum. Hi enim aut sunt simplices, aut compositi ex simplicibus. Simples intelligunt & cognoscunt aliquid vel absq; medio seu ratiocinatione, ut est ὁ ὄντης Intelligentia, qua percipimus principia nuda & simplici apprehensione (v. g. sine medio percipimus: Totum quodlibet esse maius qualibet sua parte. Finitum non esse capax infiniti. Bis duo esse quatuor. Parentes esse honorandos. Aequalia aequalibus esse tribuēda.) vel cognoscimus aliquid per medium & per quandam ratiocinationem, vel ἀποδεικτικῶν, quae cognitio dicitur ἐπιστήμη: vel διαλεκτικῶν per quam intelliguntur vel ea quae sunt agenda, ut prudentia: vel quae sunt efficienda, ut Ars. Atq; hi habitus sunt simplicis cognitionis. Compositus habitus est σοφία ipsa sapientia, per quam non solum ipsa principia absq; medio; sed etiam conclusiones, quae per aliquod medium ex principijs efficiuntur, intelligimus. Magirus in c. 3. l. 6. Nicom. p. 578.

Cæterum hic numerus quinaris & redundantiae & defectus obelisco à nonnullis Aristotelis, imo veritatis hostibus confodi solet. 1. Quia prætermittuntur habitus instrumentarij, & stante hoc numero Grammatica & reliquæ artes, quae propriè scientiæ non sunt, ad nullum horum habituum referri poterunt. 2. Prætermittitur Opinio & suspicio, quae & ipsæ meriti sunt habitus. 3. Virtus non est de essentia hominis; quia est accidens: acci-
dens

agens autem non potest esse causa aut forma substantia. Zab. de Con-
stit. Individ. c. 2. Scal. Exerc. 10. & 307. f. 27. Et Bodin. in Theat. Na-
tur. p. 546. non potest ullius substantia essentiam complere. Quia quicquid est
à causis in effectu, antea existit in causis. Scal. Exerc. 307. f. 33. Atqui In-
tellektus est de substantia hominis. Est enim agens principium & use-
triv. Zab. de mente humana c. 6. Ergo intellektus non est virtus: &
per consequens non sunt quinque virtutes intellectuales. 4. Sapiencia mixta
est ex scientia, imò est scientia 6. Nicom. c. 6. & 1. 5. Eud. c. 7. Er-
go non recte à scientia distinguitur. 5. Habitus Intellectuales
sunt, quibus dicere solemus rem affirmando vel negando. Atqui
veritas prudentia non consistit in affirmatione & negatione; sed
potius cum conformitate dictaminis rationis cum recto appe-
titu.

Verùm ad singula hæc obiecta expedita suppetit respon-

sio. i. Habitus istos organicos Philosophus & enumerare & præter-

mittere potuit. Enumerare quidem potuisset, clarioris distinctionis

gratiâ, quoniam reverâ à principalibus distinguuntur, cum principalium sint

organa. Præmittere autem potuit 1. Quia nobis ea præcipuè curæ esse de-

bent, quæ in principem aliquem finem ducunt, per quæ organa etiam denotantur

eis famulantia. 2. Quia in tribus communibus finibus eum hisce conveni-

unt. Omnis enim habitus mentis vel ad actionem, vel ad effectiorem, vel ad co-

gnitionem tendit: hi habitus Organici ad effectiorem dirigunt; docent enim

efficere & formare aliquid: & licet propriè non sint artes, quia non versantur

in externâ materiâ; ad artes tamen rediguntur propter similitudinem,

quam habent cum artibus mechanicis. Piccol. g. 5. c. 2. II. Suspicio & o-

pinio licet quidem dici possint habitus & aliquam habeant cum virtutibus in-

tellektualibus affinitatem, minimè tamen inter eas munerari possunt. Ra-

tio est: quia contra rationem virtutis est, ut sit principium mali actus. Ista

autem duo sunt principium mali actus in Intellectu, quia per hæc falli & deci-

pi possumus circa veritatem. Falsitas autè est malum Intellectus. Piccol. l. d.

Armand. de Bello visu l. d. Hipp. in c. 3. lib. 6. Ethic. Nicom. p.

480. III. Intellectus hic non significat potentiam Intellectivam;

sed habitum potentia, qui importat eius certitudinem circa prima princi-

pia, non secus ac visus & pro facultate videndi & actione sumitur. Piccol.

g. 5. c. 17. Armand. de Bello visu l. d. IV. Non est absurdum, duas

scientias recurrere in unum habitum. Et sic sapiencia est scientia,

videlicet quatenus cognoscit principia per Conclusiones, quod est proprium sci-

entia. Sapiencia etiam à scientia distincta est, nimirum quatenus per

Causas altissimas procedit & de aliarum scientiarum principijs indicat. 5. Eo ipsa quo dicitur prudentia consistere in cōformitate dictaminis rationis cum recto appetitu, asseritur, quod ea sit affirmatio & negatio; sed non aded explicita, ut in reliquis habitibus Intellectualibus. Tunc enim vera est affirmatio, quando dicitur aliquid esse agendum. Negatio autem quando dicitur, aliquid non esse agendum, seu omittendum. Vide Piccol. g. 5. c. 2. & 3 Item Casp. Finckij Schediasma 80.

QVÆSTIO IV.

Virtutes intellectuales an sint in phantasia & memoria; an verò in intellectu?

Prius est Piccolominei, qui ubi hoc de quæsito tres opiniones recensuisset, tandē contra D. Thomā hasce virtutes tantū in phantasia & memoria locum habere concludit. Colligamus igitur, inquit, virtutes rationis in phantasia recipi & memoria servari: & tunc hominem dici habitu præditum, dum longo studio, curâ, experientia, iteratisq; actionibus phantasmata ita firmaverit, digesserit ac in ordinem redegerit, ut ad libitum valeat communes notiones mente colligere, speculari, ac per eas vel ad actionem, vel ad effectum dirigî. Negat verò in intellectu hosce rationis habitus locum habere posse ex hoc fundamēto: Quia nempe mens hominis distinguitur à phantasia, æterna est, & nihil in ea ut subiecto recipitur: id enim quod immortale est, & à materia non pendet, nulli novo accidenti subijci potest: sat est menti, cum ex se pura sit, & congruenter se habeat, ut ea sola rectè parentur, que ad Phantasiam, memoriam ac phantasmatum ordinem ac dispositionem requiruntur: his enim rectè compositis sublatiisq; impedimentis, mens rectè munere suo fungitur, non secus ac Geometra de mta ebrietate & somno congruenter specularatur Piccol. g. 5. c. 6. p. 391.

Posterius est D. Thomæ: imo & aliorum præclarissimorum Philosophorum, qui statuunt virtutes rationis esse qualitates de prima specie qualitatis in intellectu receptas & conservatas.

Rationes

Rationes horum sunt. 1. *si non sunt intellectus: neq; intellectus, rationis & τῆς διανοίας virtutes dici merentur.* 2. *Medicina parti patientis debet applicari, non alij. Atqui in intellectu est morbus, Inscitia scilicet, non in Phantasia.* 3. *Si Phantasia duntaxat illas recipit virtutes, ratione phantasiae dicendus erit homo sapiens, non ratione intellectus. Atqui τὸ τὸσσοῦ hoc postremum: Quia aliàs nihil obstabit, quò minus & bruta dicantur rationalia. Atquò irrationale quomodo rationale erit?*

Nos liticulam hanc distinctione componimus. Vera sunt, quæ asserit Piccolomineus, *si ipsa hujus virtutis intellectualis consideremus principia: à sensibus siquidem maximà ex parte deducuntur per phantasmata.* Falsa autem sunt, *quatenus statuit, hæc in phantasia semper hære, nec ulterius elevari: siquidem, quod rationibus haut contemendis jam evictum fuit, in intellectu hæc demum recipiuntur & conservantur.* Fundamento autem isti, cui maximè Piccol. innititur, nempe mentem à materia non pendere, idcirco nulli novo accidenti subijci posse; opponimus expressum textum Aristotelis. 3. de Anima cont. 2. 3. 4. ubi intellectum, antequam intelligat, esse omnia potestate affirmat: & mox cont. 6. dicit eum locum esse specierum cont. 8. fieri eum omnia: Non quidem essentialiter aut formaliter, ut existimabat Cardanus, sed tantum subjective. Scal. Exerc. 307. sect. 6. *At qui tandem fiet omnia, si nihil recipit.* Magirus l. 6. Physiol. c. 16. Gocl. l. 6. disp. Phys. disp. 31. pag. 553. sed & de hisce satis, queramus ulterius.

QVÆSTIO V.

An prudentia è censu virtutum sit tollenda?

Sunt quidem nonnulli, qui prudentiam è censu virtutum penitus sublatam eunt. *Volunt enim prudentiam esse vim seu noticiam intellectus, imò rem cum intellectu unam, naturà nobis insitam.* At falsum hoc. *Quia si prudentia duntaxat esset vis intellectus & noticia nobis insita, consequens omninò foret, omnes homines naturà equè esse prudentes.* Nam anima gradus intentionis sive magis & minus non recipit.

Nos contrà prudentiam, licet nobis magis naturalis esse videatur, quàm cæteræ; interim tamen è tribu virtutum non esse movendam hisce rationibus ostendimus. 1. *Quia quæ nobis insita sunt ab ijs non laudamur.* At à prudentia laudamur. Non igitur naturà nobis insita. 2. *Quia media ad finem seu summum bonum consequendum maximè inquirit & ostendit.*

ostendit. 3. Quia non tantum in contemplatione; sed & in *πραξι* consistit.
4. Quia nulla moralis absq; illa esse potest. 5. Deniq; testimonio Philosophi,
qui eam 1. M. M. 35. inter virtutes Ethicas refert, ipsiusq; Ciceronis 5.
Finium: Alterum, ait, genus est magnarum verarumq; virtutum, quas ap-
pellamus voluntarias: Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem & Iusti-
ciam &c.

QVÆSTIO VI.

Quomodo prudentia sit habitus verus, &
an non etiam ei falsum subesse
possit?

Definit quidem Philosophus prudentiam, quod sit habitus
verus cum ratione; sed rectè ne id fecerit, hæc abs re aliquis quæsi-
erit. Ratio dubitandi est: Quia prudentia etiam circa contingentia, versa-
tur, quæ, ut suapte naturâ in utramq; partem cadunt, ita a iudicium intellectus
fallere possunt.

Pro hujus dubij determinatione tenendum, duplicem esse
veritatem, alteram speculativam, alteram practicam. Prior spe-
ctatur penes conformitatem cognitionis, sive intellectus cogno-
scentis ad rem cognitam. Posterior autem, ut ad præsentem locum
spectat, consistit in adæquatione rationis ad appetitum rectam,
de qua Aristoteles 6. Nicom. c. 6. Ex hac duplici veritatis notione fit, ut
nullus habitus speculativus sit absolute verus, nisi circa objectum necessarium &
quod aliter se habere nequit, versetur, cum ejus veritas à conditione objecti de-
pendeat: Practicus verò licet in objectum contingens tendat, possit nihilominus
veritati esse consentaneus, si recto appetitui adæquetur, quicquid sit de confor-
mitate ad objectum secundum se & ex sua naturâ spectatum. Proinde conclu-
dimus, Prudentiam circa verum perpetuò insistere, neq; ab eo un-
quam exorbitare. Quia enim voluntaris rectitudinem supponit, o-
portet ejus actum verum esse practicè, prout habet ordinem ad
voluntatem rectam, cui conformatur; etsi in objectum contin-
gens tendat, atque adeò speculativè falsus deprehendi possit,
Videatur Arist. 6. Nic. c. 2. Colleg. Connimb. disp. 10. q. 1. a. 2.

QVÆSTIO VII.

An Socrates rectè statuerit omnes virtutes
esse prudentias?

Respondet

Respondet Philosophus hanc Socratis sententiam esse partim veram, partim falsam. Falsam esse, quatenus putavit omnes virtutes simpliciter esse prudentias: siquidem hac ratione nulla virtus esset moralis; sed omnes virtutes essent intellectuales, cum prudentia sit virtus διὰ νοῦν. Veram esse, quatenus statuerit, omnes virtutes prudentias esse, sed non formaliter & essentialiter; sed 1. Ratione dependentiæ & acquisitionis: quia perquam necessaria est ἀπόρροια ad omnem Ethicæ virtutis acquisitionem. 2. Ratione connexionis, consensionis & conspirationis. Quælibet enim virtus non est ipsa prudentia, nulla tamen virtus sine prudentia spirat. Quippe ut omnes partes plantæ in radice uniantur, cum tamen qualibet pars non sit ipsa radix: ita omnes virtutes in prudentiâ vincuntur, cum tamen inter se maneant distinctæ & separatæ. Et quemadmodum mirum non est videre multas conjunctas vires in uno animo, multas lineas in uno centro: ita quid mirum multas videre virtutes in unâ omnium virtutum primâ, hoc est, prudentiâ? Neq; est, quod hic aliquis excipiat 1. Separari tamen virtutes moris à virtute Intellectus. 2. Separari naturales virtutes à naturali prudentiâ, cum in pueris liberalitatis semina prius sese exserant, quam prudentiæ.

Respondemus 1. Virtutem moralem & prudentiam in intellectu quidem separari; sed actu simul semper reperiri. Cum enim virtus moralis recta ratione (à quâ dirigatur) utatur: recta autem ratio à ἀπόρροια pendeat, prudentiam morales virtutes omnes comitari necesse est, ita ut qui prudentiâ comparavit, ille quidem omnes virtutes Ethicas habeat. 2. Loquimur hic de virtute κερτα seu acquisita; non verò naturali. Arist. 6. Nic. c. 13. Iodoc. Clichtoveus in Introduct. Fabri Stapul. p. 45. Gocl. in exerc. Ethic. p.

QVÆST. VIII.

An sapientia & prudentia nihil momenti conferant ad beatitudinem politicam?

Pro parte negante Philosophus 6. Nic. c. 12. duplicem affert rationem. 1. Sapientia, inquit, nihil confert ad beatitudinem, quia tantum in contemplatione versatur. At qui beatitudo civilis est actio secundum virtutem. 2. Prudentia itidem si ad beatitudinem necessaria est, inserviet vel ei, qui jam est vir bonus & virtute præditus; vel improbo. Sed non viro bono: Quia hic ex virtute suâ, quæ semper est actiuosa, juste & honeste agit: & ipsa
VIRTUS

virtus per se suas actiones edere potest. Proinde quemadmodum homini sano ad actiones sanas obeundas non est necessaria sanitatis & artis medica cognitio; Ita etiam viro bono ad actiones virtutis obeundas non est necessaria prudentia; sed sufficit virtus moralis. Neq; viro malo: Quia is imitando alios & prudentiae praeceptis obtemperando virtuti consentanea obire potest, ita ut propria prudentia non egeat. Quemadmodum enim aegrotus ad sanitatem recuperandam non opus est cognitione artis medicae; sed sufficit, si obtemperet medico & faciat ea, quae medicus praescribit: Ita ad virtutem moralem comparandam, non necesse est habere prudentiam; sed satis est obtemperare ijs, qui virtute praediti sunt, & eorum facta imitari.

Econtra & sapientiam & prudentiam ad beatitudinem haut parum conferre, eodem loco asserit Philosophus. Illam quidem, quia pars est universae virtutis & nos contemplatione exercet: Hanc vero, quia ipsum opus, in quo beatitudo consistit (scilicet actionem virtutis) perficit, monstrando media, quibus virtus ad finem sibi propositum pervenire queat.

Proinde ad utramq; contrariam rationem Philosophus respondet, & singula membra ita infringit. 1. Ex abundanti concedit, si vel maxime cum sapientia tum prudentia ad actiones virtutum obeundas parum prodesse: tamen, inquit, nullum inde fore consequens, eas ob id prorsus esse inutiles, cum ipse per se sint necessariae & expetenda atq; sui ratione, quae virtutes sunt, utiles dici mereantur. 2. Negat similitudinem a medicina desumptam, bonam esse & huc quadrare, cum prudentia sit causa formalis virtuosarum actionum; Medicina vero tantum adjuvans causa: eo quod actiones sanae per se non a medicina; sed a sanitate promanent. Proinde prudentia se habet ad actiones virtutis & ad felicitatem, non ut ars medica; sed ut sanitas, quia haec est causa per se & interna sanarum operationum; illa vero tantum est causa extranea & adjuvans. Itaq; ut sanae operationes non possunt esse sine sanitate: ita actiones virtutis non possunt esse sine prudentia. 3. Negat & illud, quod aliquis alios imitando vel obtemperando virtuosè agere possit, etiam absq; prudentia, non secus ac aegrotus sanitatem recuperare potest, sine cognitione artis Medicae, modo medici consilijs obtemperet. Sola enim imitatio efficere nequit, ut aliquis scienter certo consilio, amore virtutis & constanti voluntate honesta agat, sicuti haec omnia ad virtutis actionem requiri docet Arist. l. 2. Nic. c. 4.

QVÆSTIO IX.

An studia Philosophiæ Theoreticæ homines reddant ineptos ad prudentiam

Politicam?

Ita

Ita quidem Machiavellus & alij nonnulli statuunt: unde
Scillud natum Neoptolemi apud eundem: *Philosophandum, sed paucis.*

Cæterum pro negante sententiâ, nempe peritiam Philosophiæ Theoreticæ magna prudentiæ adminicula præstare, militante hæ rationes. 1. *Præcepta prudentiæ habent sua principia, fundamenta & fontes in præceptis Philosophiæ Theoreticæ. v. g. in doctrina de anima rationali, in doctrina de voluntate & affectibus hominis & in alijs pluribus.* 2. *Nec etiâ potest quisquâ prudens esse, nisi possit discernere circumstantias varias personarum, locorum & temporum. Atqui istæ circumstantiæ ex fundamentis Philosophiæ Theoreticæ distinctionem accipiunt. v. g. Vir prudens debet discernere inter personam judicis & senis, viri & mulieris. Atqui ista discretio pendet ex temperamento corporum, cujus tractatio ad Physicum spectat.* 3. *Ex Philosophiæ Theoreticæ peti possunt efficacissimæ causæ impellentes ad multarum virtutum exercitia. v. g. Ex accurata cognitione sui corporis, & ex ejus temperamenti noticia quilibet stimulos ad temperantiam & alias virtutes capere potest.* 4. *Facit huc Architas Pythagoricus, quando inquit: Vir prudens hoc maxime pacto nascitur. Primum nactus sit oportet ingenium solers, memor & laboriosum. Deinde statim à puero animum exercent, ratiocinetur, circa Mathematica, exactas speculationes & rectam Philosophiam versetur. Postea de Dijs & legibus & vitis hominum experientiam adipiscatur. Duo enim sunt quæ prudentiæ habitum nobis gignunt. Quorum alterum est, ut mens disciplinæ & cognitione sit munita: alterum spectacula & negocia multa, quæ partim ipsummet unumquemq; spectasse oportet, partim alio malo percepisse. Paulus ab Eitzen parte altera doctrinæ Ethicæ pag. 602.*

Pro hujus quæstionis determinatione nos hæc afferimus limitationes.

1. Peritia Philosophiæ theoreticæ etsi non principaliter prudentiam ponat; tamen eam potissimum juvat. Quamquam enim possit esse vir prudens, qui non simul sit sapiens: prudentia tamen ex sapientia capit sublimiorem aliquem gradum, ita ut is prudens, qui simul est sapiens, graduum & partium perfectione præferendus sit isti prudenti, qui non simul & Philosophiæ Theoreticæ operam navavit.

2. Quando dicit Neoptelomus: *Philosophandum sed paucis*: si paucis hoc innuit, quod methodicè & sobriè Philosophandum sit ei, qui ad rempub. aspirat, tunc neq; nos sibi habebit repugnantes: neq; enim decet totum Philosophiæ immergi eum, qui ad rempub. præparandus est. Sed si paucis Philosophari idem sit, ceu totam philosophiam theoreticam fastidiosè contemnere, quomodo multi hodie hoc dictum citant,

tunc sanè & nos diversi hic ab eo abimus & rationes pro sententia negante ad-
ductæ longè aliud evincunt. Kecker. Syst. Ethic. l. 1. c. 3.

QVÆSTIO X.

An Oeconomica prudentia Monasticâ perfectior:
politica verò utraq;

Stamus pro negativâ: Pro quâ & hæc colligimus cohortes. 1. Quia
nulla species generis perfecti imperfecta est. At qui hæc singula sūt species perfecti
generis. 2. Si in privato prudentia erit imperfecta; jam hoc aliud erit quàm pru-
dentia: imò nihil erit, quia quicquid est imperfectum in nulla specie ve reponi-
tur vel existit. 3. Omnis virtus perfecta est per formam suam. Quare & mona-
stica talis erit. 4. Si Oeconomica profluit à Monastica tanquam principio suo:
perfecta igitur à minus perfecta fiet. 5. Si virtus perficit eum cuius est; pru-
dentia etiam Monastica perficiet eum in quo est. At verò quomodo perficiet, si
imperfecta est? Atq; hæc omnia cum & veritati & ipsorum sententia, quæ Oe-
conomicam prudentiam Monasticâ, & Politicam utraq; perfectiorē esse volunt,
adversentur, non erit jam prudentia alia perfectior aliâ, quin potius una omni-
am prudentia.

QVÆSTIO XI.

Qui fiat, quòd juvenes Mathematicas disciplinas fa-
cile addiscant; prudentiam verò diffi-
culter sibi comparent?

Hujus re ex Philosopho hanc afferimus rationem. Disciplina
Mathematica, cum tantum constent universalibus præceptionibus, facile ad-
disci & intelligi possunt; prudentia verò præter universalium noticiam requirit
etiam experientiam singularium, rerumq; aliquem usum, qui justum temporis
postulat. Hoc verò cum juvenes per ætatem destituantur, mirum non est, si pru-
dentes fieri nequeant. Eandem etiam ob causam nec sapientes fieri possunt, nec
Physici. Principia enim Physica cum non nisi usu & experientia cognoscantur, &
ipsi destituti, illa nec credunt, nec discere possunt. Arist. 6. Nicom. c. 7.

QVÆSTIO XII.

Anne & hi prudentes dicendi, qui licet stre-
nui sint potatores; tamen con-
silijs valent?

Ita sane est: reperiuntur haec pauci, qui licet strenui sint potatores
 tamen consilijs valent & cum laude & sua & publica negocia administrant.
 quales plerumq; in Principum aulis reperiuntur. De hisce ergo jam queritur,
 an in prudentibus habendi? Respondemus cum Aristotele tales
 nec esse viros bonos; nec esse revera prudentes; sed solertes & in
 rebus agendis quodammodo dexteros & expeditos. Rationem
 petimus ex duplici discrimine quod inter prudentiam & solertiam
 invicem intercedit. Prius est ratione causae efficientis. Quia so-
 lertiae causa efficiens est natura; siquidem est naturalis facultas: hujus vero est
 usus & experientia: siquidem prudentia habitus est. Alterum est ratione
 subjecti: Quia solertia uti & bona & mala est: ita non tantum in viris bonis
 sed etiam malis locum habet; prudentia vero semper bona est & cum virtute
 morali conjuncta, & idcirco tantum inter viros bonos locum habet. Bene enim
 Aristoteles: Ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι μὴ ὄντα ἀγαθόν. Impossibile est ut
 quis sit prudens, nisi idem sit vir bonus. Item: sine prudentia nemo proprie vir
 bonus esse potest. Prudentia enim non in sola ratione consistit; sed & praeterea
 appetitus rectitudinem supponit: Nam ut quis sit prudens, debet ejus appetitus
 esse virtutibus compositus & recte rationi parere. Arist. 6. Nicom. cap. 12.
 Clichtov. l. d. p. 45. Vide progressam quaestionem quintam; &
 rhem 76.

QVAESTIO XIII.

Quomodo Intemperantia fit causa corrup-
 pens prudentiam?

Aristoteles 6. Nicom. c. 5. Causam prudentiae conservantem
 ponit Temperantiam, quae idcirco à Graecis σωφροσύνη dicitur, quasi σω-
 ζῶσα τῆν φρόνησιν hoc est, conservans prudentiam. Illa enim iudicium &
 noticiam de principijs rerum agendarum, quae sunt ipsi fines, hoc est, de bonis &
 malis circa quae prudens occupatur, tuetur & conservat. Prudentia enim, in-
 quit Eustratius hunc in locum, servatur, cum neq; illecebris, & jucunditate
 voluptatis, nec doloris asperitate ratio vincitur: corrumpitur autem cum ratio
 irrationalibus voluptatibus cedit.

Atq; hoc nomine Aristoteles ibidem loci corruptentem cau-
 sam Prudentiae statuit Intemperantiam, quae per voluptatem & dolorem
 corrumpit iudicium de principijs rerum agendarum, quatenus voluntatem ho-
 minis depravat, ut non possit verum finem velle. Quia autem à vero fine aberrat
 tur, qui principium est rerum agendarum, necesse est ea, quae ad finem diriguntur
 esse



offe mala & vitiosa. Qui enim in principijs aberrat, idem aberrat in illis, quae
principia consequuntur: Et si in principijs sit paululum erroris, infiniti deinceps
subsequantur, necessum est. Piccol. g. 1. c. 31. Vbi tamen vel imprimis no-
tandum, quod & ipse notat Philosophus. Intemperantiã non cor-
rumpere hominis iudicium de omnibus principijs, sed tantum de
practicis. Ad $\pi\gamma\delta\epsilon\zeta\eta\theta$ n. sive actionem non requiritur solum noticia rei geren-
da; sed etiam voluntatis & appetitus. Voluntas autem facile potest corrumpi, ut
ab honestis ad turpia deflectat, indeq; fit, ut de talibus principijs parum iudicare
possit. V. g. Homo intemperans etiam intelligere potest hoc principium: Natu-
ra non admittit vacuum. Corpus grave naturã tendit deorsum: omnes lineæ in
circulo à centro ad circumferentiam ductæ sunt æquales. Atq; hinc est, quod E-
picurei & alij quidam in scientijs Theoreticis acusè admodum philosophati fu-
erint, cum circa res agendas habuerint depravatum iudicium & falsissima
principia, eò quòd omnia ad voluptatem retulerint. Videantur optima hac
de re apud Piccol. g. 5. c. 39. p. 473.

QVÆSTIO XIV.

Quare scientiæ & non prudentiæ possit
fieri oblivio?

Prudentiæ non posse esse oblivionem, effatum est Philosophi
6. Nicom. c. 5. E contra ipsa experientia testatur sæpenumerò etiam magnis
viris propter morbum aut aliquem alium casum accidisse, ut omnium eorum, quæ
sciebant, obliviscerentur & amitterent omnem memoriam & scientiam. Nos
causam hujus rei ponimus duplicem. I. Ejus quod in solâ ratione & men-
tis cognitione consistit, potest fieri oblivio: non autem ejus quod simul appetitum
rectum trahit, & voluntatem conjunctam habet: voluntas enim planè non po-
test amitti. At scientiã in solâ ratione, animiq; consideratione consistit, & vo-
luntati atq; appetitus rectitudinem non supponit. Potest enim pravus æquè atq;
bonus scientiam sibi adfiscere vendicareq;. Prudentia verò non in solâ consistit
ratione, sed ultra eam voluntatis & appetitus rectitudinem supponit. II. Præ-
terea semper nobis obijcitur materia operandi per prudentiam, & hujusmodi o-
perationis assiduitate impeditur in nobis ejus oblivio. Non a. occurrit tam fre-
quens materia considerandi per scientiam: atq; idcirco considerationis inter-
missione & absentia exercitationis nonnunquam scientia fit oblivio. Arist. 6.
Nic. c. 5. Clichtovens l. d. p. 65. Piccol. g. 5. c. 39. p. 475. Confer ea quæ
habet Goelenius de ista quæstione: An virtus moralis sit durabili-
or scientia? quæstione Ethica 63. p. 360.

QVÆSTIO

QVAESTIO XV.

An Ars suum finem semper assequatur?

Ratio dubitandi est. 1. Quia uti supra th. 8. 2. dictum sint, obiectum artis sunt res contingentes, quae aliter atq; aliter sese habere possunt. 2. Quia Ars, ut & ibidem dictum, magnam habet cum fortuna cognationem, à qua etiam interdum multum iuratur vel impeditur: unde etiam artifices interdum fortunati vel infortunati appellantur, quod alij alijs in operando sint feliciores. Ex thesi. 82. Nos ad dubium hoc per distinctionem respondemus. Ars enim dupliciter consideratur. 1. Respectu formae, quatenus est habitus Diuinoeticus nitens rectè à ratione: & tum animum nostrum sic instituit, ut semper verum assequatur, suoq; scopo satisfaciat, neq; à fortuna impedi possit. Sic enim in artem, quatenus ars est, fortuna non cadit. 2. Respectu particularis subiectae materiae, quae inconstans est & varia, ideoq; fortunam admittere potest. Et proinde cum in artem fortuna cadat non habitus vitio; sed subiecti culpa: idcirco ut habitus nostra industria acquirendus est; ita optandum tale subiectum nobis dari, in quo fortuita materia dispositio artem quam minimum impediat. Et hoc si qua in alia arte, in medicina, potissimum.

QVAESTIO XVI.

Theologia ad quem habitum mentis redigi possit?

Appendicis loco & hanc subiicimus quaestiunculam, de qua varios veriorum sententias apponemus, nostram mentem suo loco declaraturi.

1. D. Thomas in prima parte summae statim initio cum hac de re in utramque partem sese disputasset, tandem concludit, Theologiam esse mixtam quandam disciplinam ex theoria & praxi. Hanc Thomae & aliorum Scholasticorum sententiam reijcit Keckermanus. l. 1. Syst. Theol. c. 1. pag 2. ex hoc duplici fundamento. 1. Quia hac sententia pugnat cum unitate disciplinae Theologicae. Cum enim contemplatrices & operatrices disciplinae obiecto & fine, id est, specie ipsa sint disparatae & distinctae non possunt unam specie disciplinam constituere. 2. Quia pugnat cum ordine & dispositione Theologici systematis: Cum enim Methodus Synthetica sit propria

propria scientiæ; Methodus autem Analytica propria disciplinæ operatricibus,
sequitur utiq; Theologiam una Methodo tradi non posse.

2. Alii Theologiam disciplinam contemplatricem esse vo-
lunt, & quidem scientiam. Quam sententiam oppugnant isti, qui Theo-
logiam operatricem disciplinam esse, acriter defensant: quandoquidem
Theologia finem non habet, qui in nudâ contemplatione consistit vel in
salâ obiecti cognitione, quod considerat, acquiescat, sed qui operatione in
subiectum introducendus. Neq; enim imago Dei & salus, quam post la-
psum perdidimus, nudâ quâdam speculatione à nobis recuperatur; sed necesse
est accedat ipsa praxis Theologica. Quo nomine dictum est ab Apostolo. 1.
Tim. 1. v. 5. Finis mandati est charitas ex puro corde, conscientia bona & fi-
de non ficta: & à Iacobo c. 1. v. 22. Estote factores verbi & non auditores-
tantum, fallentes vosmetipsos. Non enim, quod v. 26. habetur, auditorem
obliviosum factum esse, sed factorem operis beatum in facto suo futurum esse.
Atq; hinc Bernhardus de ordinat. vitæ: is, inquit, Scripturas recte
legit, qui verba vertit in opera.

3. Ex hisce præsupponit. Keckermanus l. d. Theologicam esse
disciplinam operatricem, & hinc prudentiam eam esse ita sub-
infert: Cum constet, inquit, Theologiam esse disciplinam operatricem, erit
vel ποιητικὴ vel πρακτικὴ, cum plures eius generis habitus non dentur. 6.
Nicom. c. 3. ποιητικὴν disciplinam Aristoteles Artem vocat. 6. Ethic. c.
4. πρακτικὴν autem disciplinam appellat prudentiâ eodem loco. Ergo aut ars
erit Theologia, aut prudentia. Ars non est: Quia nulla ars pertinet ad
actiones virtutum sive ad affectus per virtutem componendos, atq; adeo ad
προαίρεσιν & voluntatem, ut Aristoteles manifestè docet 2. Ethic. 4. &
6. Eth. 4. At verò Theologia pertinet omnino ad regenerationem & sanctifi-
cationem affectuum, quandoquidem ut Apostolus inquit Hebr. 12. 14. Ne-
mo sine sanctimonia Deum videbit. Concludimus ergo Theologiam non artem
esse, sed prudentiam; quia hæc circa virtutes, atq; adeo affectus virtute imbu-
endos est occupata, ut apparet ex descriptione prudentiæ c. 4. 5. & sequenti-
bus 6. Nicom. Et hæcenus Keckermanus. Hanc sententiâ rejiciunt alii
quia, uti constat, sunt in Theologia & præcepta vitæ seu morum & dogmata
fidei: Viraq; verò referuntur ad hunc finem, qui est acquisitio salutis æ-
ternæ.

4. Est nonnullus non infimæ classis Theologus, qui quidem
Theologiam & sapientiam & scientiam dici posse concedit; (Sic
enim ipse Spiritus S. eam appellat 1. cor. 12. v. 8) sed non Philosophicè
loquendo, sed modo huic doctrinæ accommodato singulariter;
de quo

de quo nihil noverit Aristoteles in universa sua Philosophia. Pro hac autem sententia ita colligit. 1. Aut aliquid commune habent Theologia & Philosophia, aut nihil. Sed non aliquid: Ergo nihil. Minorem probat: Quia si aliquid habent, erit illud nec Theologicum, nec Philosophicum. Nam genus in se suaq; essentia nec species est, nec differentia speciei specifica. Falsum autem Consequens. Falsum igitur & antecedens. In Theologia enim nihil est nisi Theologicum. 2. Definitio scientia, sapientia, prudentia a Philosophia petita nulla vera Theologia largitur, nisi Thesis detur: Philosophiae principis Theologiam inniti ac proinde Ens Philosophicum fieri. Habitus enim est qualitas: qualitas est accidens: Accidens est Philosophicum. Theologia vero est habitus, si scientia, si sapientia, si prudentia, secundum Aristotelem. 6. Ethicorum. Ergo Theologia est qualitas: Ergo est Accidens. Ergo & Ens Philosophicum: quod vanum. Proindeq; concludit Scholasticos Doctores qui hac de quaestione non sine acumine & argutiis disceptant, cum Philosophicas artis scientia & sapientia & definitiones praesupponant, & postea de accommodatione Theologiae laborent, scripturamq; comitem non habeant, ingeniis tantum certare, variisq; sudoribus se defatigare.

5. Deniq; alius quaestioni huic satisfactorius, mavult cum S. S. literis uti genere remotiusculo, quam nodum in scirpo quaerere: eaq; de causa Theologiam Doctrinam esse statuit. Ita enim scriptura eam passim denominat. Deut. 32. v. 2. Prov. 8. v. 10. Jer. 3. v. 15. Marc. 4. v. 2. Marc. 12. v. 38. Matth. 7. v. 28. Matth. 22. v. 33. Marc. 1. v. 22. Marc. 6. v. 2. Marc. 11. v. 18. Luc. 4. v. 32. & ipse Christus predicatione suam doctrinam vocat Joh. 7. v. 16. 17. dicens: Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet doctrina, utrum ex Deo, an ego a me ipso loquar. Et eodem modo predicatio Apostolorum doctrina appellatur. Act. 2. 42. Act. 5. v. 28. Act. 13. v. 12. Rom. 6. v. 17. Rom. 15. v. 4. Rom. 16. v. 17. 1. Tim. 1. v. 10. 1. Tim. 4. v. 6. 13. 16. Tit. 1. v. 9. Atq; sic haec hactenus discrepantes hac de re Doctorum sententias recensuimus: nos quid sentiamus in ipso conflictu quaerentibus candidè aperiemus. Interim videatur D. Thomas l. d. Daniel Hoffmannus in Tractatu de usu & applicatione rerum Logicarum ad res Theologicas lib. 1. distinct. 1. 2. 3. pag. 9. & seq. Ioh. Schröderus in opusculo Theologico de principio Theologiae & naturali Dei notitia p. sect. 1. Keckermanus. l. d.

Et hic iam cessamus quaerere: & merito. Nam
Utile si sapias, non ita multa, sat est.

ad

AD AMICVM MEVM

Vilhelmaus Lyserum de virtutibus Intellectualib. disputantem.

Ivre coronatus, quem virtus illa coronat,
Quâ velut in toto Lucifer orbe micat;
Quâq; brevi potis est in tantas crescere laudes,
Vertice sublimi tangere ut astra queat.
Iure coronari posses, GVLIELME, coronat
Hæc quia TE virtus, quâ velut astra feris;
Ingenii radiis dum Animi virtutibus addis
Laudem cuiq; suam; nobile mentis opus!
Non est, cur meritis quæsitum ferre recuses
Laudem, scin qualem? scin? taceo at benè scis.
Ergò huc Melpomene fastum tibi sume superbū
Militis & lauro tempora cinge tui.

*Ernestus Hettenbachius
Vutebergensis Saxo.*




Fc 1249.
gn


ULB Halle 3
003 422 747


Bitte noch kein
Sammelbd. verwenden
nach Ausleihe
an Retro-Ecke
OK
Zurück!

VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.



TIO XIII.
NUM ETHICARVM
DE

VITIBVS

ACTVALIBVS
um Nicomachiorum
is depromta,

am.
E ET DOCENTE
mia Vitebergensi

SIDE
VELSTENIO,
lis Professore Publico
dam suscipiet

VS LYSERVS
igã-Saxo.

locoꝝ, consuetis.
ANDER.

uod junior dicam,
ut is verba proferam:
ui sibi non sapit,

s Mullerianis, 1608.



5

